

06.12.



INDEX LECTIÖNUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXIX—XX.


INSTITUENDARUM.

PRAEMISSA EST MEMORIA FRANCISCI BECKMANNI, QUAM SCRIPSIT PROF. DR. MICHELIS.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.


1869



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D R. A N D R. THIEL,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Quamquam primum nunc, commilitones humanissimi, lectionum indice ad memoriam collegae defuneti persequendam utimur, attamen neminem fore sperabamus, qui Francisco Beckmanno, quem morte prae-matura nuper eruptum nobis dolemus, hoc laudis monumentum invideat, aliquos forsitan, quorum animus ad arguendum nos sero pietatis officii impleti inclinet. In quo tamen habemus, quo excusemur, quum non tam id nobis propositum esse arbitraremur, ut vitam ejus scriptorumque indicem, quae commentationi de philosophicorum theologicorumque studiorum Warmiensium progressu ad celebranda Lycei nostri solemnia semisecularia editae inserta sunt, denuo proferamus, sed ut omnem studiorum ejus rationem accuratius persequentes ingenii ejus imagunculam quandam depingamus doctrinaeque, qua plane insigni floruit, communem fontem et interiorem nexus in luce ponamus. Ipse enim quum doctrinae disjecta tantum fragmenta sparserit, videri potest nullo communi vinculo studia continuisse, quod secus esse imprimis ea demonstrant, quae manu scripta reliquit quaeque documento sunt eum non solum summa industria doctrinae fontes ipsos adiisse et undique fructus in horrea collegisse, sed altiora etiam consilia sequutum esse. Ea igitur, quae manuscripta reliquit, exutienda erant simulque, postquam bibliothecae servanda tradita sunt, in catalogum redigenda, ut eorum usus, si quis ad eadem studia aspiraret, pateret.

Vita Franc. Beckmanni, ut in hominibus doctrinae studiis deditis fere accidit, simplex fuit, non ita tamen, ut plane eis eventibus careret, unde in re scenica *περιπέτειας* nomen fluxit. Natus est a. d. III. Id. April. anno p. Chr. n. MDCCCX in pago Schoenholhausen Guestphaliae meridionalis, primum artium liberalium praeceptorem habuit parochum La Paix, fugitivum Francogallum; deinde cursu scholastico in gymnasiis Attendornae, Arnsbergae, Rieblinghusii florentibus absoluto, imprimis Wuellneri, V. Cll., qui tunc gymnasium Rieblinghusense regebat, institutione ad altiora studia excitatus aliam Rhenanam postea Berolinensem academias adiit in eisque viros clarissimos philosophiam, philologiam, historiam alias disciplinas docentes audivit. Berolini anno MDCCCXLIV ad summos in philosophia honores promotus, aliquot annos praeceptoris domestici munere funetus et deinde Monasterii facultatem docendi nactus tirocinii, quod in gymnasio docentibus lege praescribitur, dimidio expleto Brunsbergam ut in Lyceo Hosiano doceret evocatur, ubi primum privatim docens et anno MDCCCLII professor extraordinarius appellatus historiam literasque vernaculas, deinde ad gradum professoris ordinarii promotus philologiam literasque antiquas tradidit. Defunctus est in pago patrio a. d. v Kal. Septb. anni MDCCCLXVIII.

Haec vitae forma; quos autem casus vitae ejus περιπέτειαν quandam continere supra indicavi, duo sunt, unus interior, exterior alter, quorum uterque, ni fallor, ad totius vitae eventum haud parum contulit. Beckmannum enim eo animo ad studia literarum accessisse, ut sacerdotii ordinem scopum sibi proposuerit, neque ipse dissimulabat et aliquo modo studiorum ratione demonstratur. A quo scopo quamquam causis certe non levibus depulsus est, ita tamen primum consilium in animo inhaesit, ut cum omnis vita, quam caelibem duxit, tum doctrina theologicum quendam colorem prae se ferret, si quidem theologi esse concedamus, omnia ad Deum tanquam summum rerum finem et ad veritatem revelatione divina nobiscum communicatam referre. Alter casus prorsus singularis ei accedit, qui quanti momenti in ejus studia fuerit, ex ipsis verbis persenties, quibus in vita, quae dissertationi ad summos in philosophia honores assequendos edita adjuncta est, eam retulit. Haec sunt: Sed infortunio, inquit, gravissimo prohibebatur, quominus laeto et tranquillo animo studia persequerer. Nam quum apparatum meum literarum receperisset Bonnae huc (Berolinum) transportatum omnia fere, quae per biennium cum alias tum in bibliotheca academica Bonnensi Welkeri, V. Ill. auspiciis adjutoris munusculo fungens subsecivis horis diurnis et nocturnis conscripseram et Berolini edere constitueram, inter libros et schedas meas desiderabam neque ullo modo recuperare poteram, sed omni opera et longo tempore idcirco perduto nihil mihi relinquebatur, nisi ut gravissimis curis impeditus ab integro meditarer et conscriberem, quae Bonnae in ipsa bibliotheca summa animi alacritate facili negotio fuderam.... Neque tamen unum tantum illud cuius mentionem feci impedimentum studiis meis obstitit; sed plura referre non attinet et querelae erectos mihi annos, erectas res, erectam opportunitatem illius finis assequendi, quem assequi poteram, restituere non possunt.“ Quodsi his vitae casibus effectum est, ut tota ingenii vis doctrinaeque copia, quae in Beckmanno erat, non uno aliquo summi momenti opere sese exsereret, sed minutulis aliquibus particulis eisque temere, ut videtur, sparsis se proderet, id ipsum quod supra indicatum est, nostrum esse putabamus, ut vel sic, quanti quae in literis praestitit aestimanda sint, in clara luce ponamus.

Primum igitur ingenii studiorumque ejus monumentum extat in commentationibus, quas de aliquibus codicis Mosaici locis in commentariis, qui ad promovendam philosophiam et theologiam catholicam olim Bonnae prodibat, publicavit¹⁾). Hae ingenii primitiae inter ipsa studia academica editae, quas quidem scriptor ipse etiam seriore aetate tanto amore fovebat, ut vel pietas in amicum eas silentio praeterire vetet, non tantum singulare prorsus in juvne acumen doctrinamque ostendunt, sed etiam eae sunt, quas ne hodie quidem impune negligere liceat. Continetur enim his commentationibus continua fere capitum II. et III. geneseos interpretatio ratione habita capitum I., inter quas particulas, totius revelationis fundamentum, quum magnam partem bis eandem narrationem sed non leviter variatam referant, tanta discrepantia intercedere videtur, ut quod satis notum est inde potissimum critici occasionem ceperint ad auctoritatem divinam Mosaici monumenti destruendam. Atque haec difficultas ea est, quam ne hodie quidem plane expeditam esse dixeris, quum altera criticorum pars ei sententiae usque inhaereat, quae in cap. I. et II. eadem bis sed haud parva cum discrepantia relata esse contendens verbi divini veritatem projicit, altera, quae revelationis auctoritatem tuetur, difficultatibus ex parte remotis temere in ea sententia acquiescat, quae capite II. narrationem capitum I. mere continuari ponit. Quaestio autem de ratione, quae inter duo priora genesos capita intercedit, ut primam totius belli, quod critica recentior contra auctoritatem sacrorum librorum movit, occasionem praebuit, ita in dies, ni fallor, magis recrudescet, quum revera in ea potius, quam in difficultatibus, quae astronomicis geologicisque rationibus contra fidem capitum I. movebantur, quae si recte rem consideraveris, nullae sunt, tota haec lis vertatur. Hanc igitur quaestionem gravissimam qui ita tractaret, ut certo consilio rationem, quae inter alterutram narrationem intercedit, exponeret et singula persequeretur, equidem praeter Beckmannum, cujus opera in hoc genere plane adhuc neglecta

¹⁾ Vide Zeitschrift für Philosophie und kath. Theologie, Jahrg. 1835. 37. 39. Heft 16, 24, 28, 29, 63, 64.

jacuit, novi neminem. Is igitur, postquam novis argumentis additis demonstravit, versum qui nunc est quartus capituli II. ita esse dividendum, ut priore particula (ele toldoth haschamajim vahaarez behibaream) narrationi priori, quae hucusque continuatur, fastigium imponatur, posteriore secunda narratio inchoetur (ita junctis verbis: bejom asoth jehova elohim erez veschamajim vecol schicha...) alteram hanc narrationem non meram prioris continuationem sed eo consilio compositam esse ostendit, ut quaecunque hominum culpa in rerum natura in deterius versa sint, ea ab originali dei creatione aliena fuisse eamque tanquam plane perfectum divinum opus viguisse eluceat. Ita efficitur, ut non solum omnis discrepantiae cum priore narratione species tolli videatur, sed etiam alteri narrationi planum consilium suppeditetur, quod interpres criticus hisce verbis expressit: Es ist eine Theodizee, geknüpft an die Geschichte der Uretern, die da erklären soll, wie die von Jehova so vollkommen erschaffne Welt, eine Welt ohne Missgewächs (schicha), ohne Hehl und Fehl durch Schuld der Menschen in einen so übelen Zustand herabgesunken, zu einer Welt mit Disteln und Dornen geworden sei. Ex quibus verbis quae eluent et religionis studium et in verbi divini auctoritatem pietas et naturalis quidam vigor, ea in tota commentatione invenies aucta et doctrina magna et felici illo acumine critico, quod liceat audacius aliquando videatur, nunquam tamen temerarium fuit et vel minimis admotis medicinis magnis saepe difficultatibus medeatur. Mihi quidem, si licet sententiam meam proferre, quum nullam unquam interpretationem quae mere exegeticis quas vocant artibus utatur et quae non universos progressus, quos et in rebus naturalibus humana industria et in divinis ipsum revelationis ingenium ex elementis Vet. Testamenti in lucem Evangelii promotum tulit philosophico quodam animo circumspiciat et in suum usum convertat, verum divini codicis sensum quum in ceteris tum in fundamentalibus hisce partibus assequituram esse mihi persuaserim, ne Beckmanni quidem interpretatio luculentissima satisfacit; sed religio erat, eam ab obliuione, qua adhuc obruta jacuit, hac occasione oblata vindicare, eorumque qui has res agunt oculos in eam convertere. Digna sane est quae accuratius excutiatur et aestimetur, quod quidem ab hoc loco alienum est, quum longiore disputatione indigeat.

Beckmannus, quae studiorum monumenta in lucem edidit, ea fere singula singulis vitae casibus apta sunt. Itaque ut domicilium Bonnense commentationes de genesi, sic Berolinense alterum studiorum monumentum tulit, libellos, quos de Pythagoreorum philosophorum reliquiis scripsit. Initium harum disputationum publicandarum fecit dissertatione, qua ad summos in philosophia honores aspirabat; quam postea cum titulo proeemii de Pythagoreorum reliquiis quaestionum recudendam curavit (Berolin. MDCCCL) auctam disputatione de Horatii carmine I, 28, sed praetermissa commentatione de Judaicae et Gnosticae et Moderateae doctrinae vestigiis, quae in Pythagoreorum fragmentis reperiri dicuntur, cuius initium jam priore editione continebatur. Haec autem, quae tunc temporum iniuitate omisit (causam ipse satis indicavit, quum „per Sosios nostros“ se prohibitum diceret, quominus propositum perageret) ea postea supplevit particulis IV. de Pythagoreorum reliquiis editis, quarum tres lectionum in Lyceo Hosiano habendarum indice continentur (anni MDCCCLII. LIII. LVIII.) una commentatione, qua munus professoris ordinarii capessivit. Itaque quamquam in hoc ipso campo, in quo appareat imprimis vires suas exseruisse Beckmannum, vitae casibus, quominus totum quod sibi proposuerat assequeretur impeditus est, attamen si particulas in unum collegeris, integrum quoddam opus prodire videbis, quod si accuratius excusseris majoris aestimaveris, quam primus aspectus indicabat. Quem enim scopum in his libellis Beckmannus proxime sibi elegerat, ut Gruppium nihil eorum, quae Pythagoreis tribuuntur, praeter Philolai fragmenta, quibus Boeckhius patrocinabatur, genuina esse contendentem refelleret, hoc eum praestitisse facile concedes. Sed hanc esse mininam harum scriptorum laudem fructumque longe et uberiorem et firmiorem eis contineri mecum te judicaturum esse spero, si accuratius eas inspexeris. Primum enim te moneo, ut has commentationes pro verae artis criticae, doctae, acutae, circumspectae exemplaribus habeas, qualia, qui summa criticae artis laude floruerunt, ediderunt. A quo considerato criticorum genere quium per se summam utilitatem in theologiam, cuius est de fontibus fidei recte judicare, redundare videamus, accedit,

ut ipsum Pythagoreorum fragmenta examinda in eum campum scriptorem deferrent, qui Graecis philosophis cum Judaeis veterique Testamento fere est communis, cuius notitiae penus copiis exquisitissimis refertur his commentationibus tibi offertur. Quare si quis redemptor inveniretur, qui has particulias in unum opusculum collectas edere tanti faceret, eum equidem et bonis literis et juvenibus earum studiis deditis magnam utilitatem allaturum esse puto. — Ceterum Beckmannum in Pythagoreorum philosophia excutienda potissimum haesisse, ejus rei una causa ni fallor fuit principale theologiae religionisque studium, altera repetenda est ex ingenii ad mathematica inclinatione, quae cum religionis studio conjuncta cum ad mystica devia fere abducatur, in Beckmanno, qui judicio considerato pollebat, eximia illa artis criticae exemplaria protulit. Mathematicae autem Beckmannus ita erat peritus, ut ad difficillima problemata solvenda non infelicem operam conferret; interque ea, quae ex supellectilis doctae naufragio reliqua sunt, imprimis commemoratione dignus videtur fasciculus, quo fragmenta Archytea, quae de mathematicis sunt, collecta continentur.

Accedimus jam ad eum campum doctrinae exserendae, qui munere docendi in hoc Lyceo suscepto Beckmanno apertus est. Ubi quod ei primum injunctum fuit historiam et universalem et literarum vernacularum docendi munus, quo alienius videbatur a studiorum ejus proprio campo, eo magis manifestabat, qua et ampla et solida doctrina polleret. Ita enim hunc campum aggressus est, ut simul et historiam universalem humani generis quam dixeris interiorem scholis luculentissimis amplectetur, et speciatim historiae Warmiensis aliquos locos inquirendos sibi sumeret. Illorum studiorum, quae ad universam historiam pertinent, publice nullum documentum edidit; sed extant inter manuscripta lectiones, quas habuit de cultura et veterum populorum et medii aevi et recentioris aetatis, de historia literarum universalis, de historia poesis nec non philosophiae apud Graecos et Romanos, de historia religionis, omnia non fusa sed exactissime et doctissime elaborata. Praecipue commemorare juvat commentationem de humani generis origine, quae novo documento est, quantopere ingenio suo universum literarum campum amplecti studuerit; tum scholas de religionis historia habitas, quibus quod de mythologia sentiebat inseruit. Mythologica autem inter ea erant, quae peculiari studio Beckmannus persequebatur in hoc quoque loco eis vestigiis insistens, quae principi illo studiorum scopo indicabantur. In eo enim potissimum erat intentus, ut nexus qui inter Graecorum ceterarumque occidentalium gentium religionem fabulasque et orientales intercedit, illustraret. Vernaculae literas ita tradebat, ut praeclarissimorum poetarum opera praeclarissima docta interpretatione prosequeretur, cuius generis extant inter reliquias ejus exemplaria tragoeiarum praeclarissimarum Goethii et Schilleri, quibus interpretatio ad marginem adscripta est. Quae autem ad singulos historiae locos pertinerent tres edidit commentationes, unam de primo episcopo Warmensi, alteram de literarum scholarumque in Warmia progressu, tertiam de electri nomine et graeco et indigeno; quarum priore ad audiendam orationem, qua munus professoris extraordinarii capessivit, invitavit, alterae commentariis historicis Warmiensibus insertae sunt. Ipsas orationes, quibus munus professoris extraordinarii et ordinarii inauguravit, quarum prior de historiae, altera de literarum antiquarum cum theologia conjunctione erat, quas in scriptis superstites inveni, non potui silentio praeterire, quum insigni documento sint, quam recte aestimaverit illam divinarum humanarumque literarum societatem, quae in Lyceo nostro fovet. — Sed major etiam laus in hoc historico genere Beckmanno debetur. Ipsi enim illi commentarii, qui historiam cum Prussiae universae tum Warmiae inquirendam sibi proposuerunt et summa jam laude florent, quum illo tempore instituerentur, Beckmannus inter primos fuit, qui ad eos fundanos augendosque conferrent et eos quum alia sua opera adjuvit tum commentationibus doctissimis auxit, quibus eos potissimum locos illustrare studebat, quibus quae ex hoc orbis terrarum angulo in universum generis humani emolumentum fluxerint continetur. Ad quod genus praeter commentationem de electri nomine, antiquissimi illius a natura dati terrae nostrae cum genere humano vinculi, pertinent disputationes de systematis Copernicani casibus, de quibus, quum vitae Beckmannii tanquam fastigium imposuerint, infra accuratius dicemus.

Reliquum est, ut de postrema et vitae et muneris aetate dicamus, qua ad gradum professoris ordinarii promotus philologiam et literas antiquas docuit. Cujus aetatis quae extant in lucem edita monumenta, commentatio de vocis ἀγαθεύ significatione in duobus locis Aeschyleis (Agam. 3 et Eumen. 80) et interpretatio vernacula parodi Agamemnonis Aeschylei commentario aucta, minutiuscula illa quidem, sed exquisita exactae philologiae documenta, magnum desiderium excitant, ut saltem totum Agamemnonem eodem modo illustrasset. Quod autem prae ceteris scriptoribus Aeschylus ei arridebat, in eo velim nete fugiat eandem animi inclinationem sese prodere, quae ad Pythagoreorum philosophiam et ad Veteris Testamenti fundamenta eum ferebat. Coram praeter Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Persium, Horatium, Ciceronis de natura deorum, Quintilianum et ex Christianorum auctorum numero Justinum, Tertullianum, Minucium interpretabatur, cuius interpretationis ad singulos fere quos nominavimus scriptores supellectilem doctam in scriptis reliquit. In critica exercenda, cui potissimum indulgebat, cum ceterorum locorum tum grammaticae rationem habebat, in quo genere non praetereundem videbatur, extare inter ea quae reliquit grammaticae philosophicae, quam dicunt, lineamenta, quae eum in hoc quoque campo altiore scopus sequutum esse demonstrant.

Quodsi hac vitae scriptorumque imaguncula id jam, quod planum facere atque probare nobis in animo erat, efficitur, fuisse in Beckmanno vinculum quoddam commune, quo insignis in diversissimis generibus doctrina contineretur, idque non alibi quam in religione situm esse, non ita autem id pervasisse, ut majori quodam, quod hominum oculos in eum converteret, opere sese exsereret, unum tamen opus in hunc extremum locum quasi repositum habemus, ne hoc quidem amplum, id tamen, in quo uno totius vitae totorumque studiorum dignum fructum agnoveris quodque, si cetera interciderint, perpetuam Beckmanni memoriam servaturum sit. Commentationes dico de systematis Copernicani historia primaeva a tenebrarum, quibus obruta jacebat, iniquitate vindicanda; quae res quod habeat momentum magis in dies elucebit, si quidem veri studium in literas magis magisque dominaturum esse sperare licet. Ita autem revera rem se habere, ut quod universo generi humano in rerum natura recte consideranda affuderit lumen Copernicus cum vera religione veraeque ecclesiae principiisque institutisque ab initio esset conjunctissimum, id ita criticis historicisque argumentis Beckmannus demonstravit, ut non possit veritas non vincere. Quod ut ita efficeretur non ne vanum dicere videar vereor, si fieri non potuisse contendeo, nisi ea convenienter, quae in Beckmanno conjuncta inveniebantur, religionis revelatae Ecclesiaeque ab injustis criminationibus vindicandae studium, mathematicorum et philosophiae imprimis Pythagoreae peritia, acumen criticum, in fontibus historiae indagandis solertia atque indefessa diligentia. Quare hae saltem commentationes, ne Beckmanni opera perdatur, fore ut in unum fasciculum collectae in lucem prodeant sperare licet; magis etiam opto, ut tanquam fundamentum sint, quo monumentum ad diem natalem magni Copernici anno MDCCCLXXIII quadringentesima vice redeuntem superstruatur.

Ne quid desideraveris in hac Beckmanni memoria restat, ut carmen commemoremus, quod XVIII strophis sapphicis in laudem Josephi Episcopi Warmiensis semisecularia sacerdotalia celebrantis composit, dignum illud quoque documentum et ingenii quod altiora spirans forma exactissima sese contineret, et conservati in Lyceo nostro vinculi inter humanarum divinarumque literarum studia, quo projecto quod detrimentum humani generis societati afferatur, hodie non omnes aequa judicare videntur.

Francisci Beckmanni memoria igitur cum vigente Lycei Hosiani honore durabit et magni Copernici laudibus ita conjuncta est, ut earum recte aestimandarum haud minimam partem posteri ejus industriae debituri sint. Quod illustrare pietas adigebat, quum ipse in vita modestiorem ne dicam timidiorem sese gesserit, quam qui in scenam prodire auderet.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Introductione in studium theologicum praemissa tradet priorem partem Apologetices dieb. Lunae et Jovis hora II—III, die Veneris hora X—XI.
 - II. Doctrinam de generis humani redemptione et de Redemptoris gratia explicabit dieb. Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora X—XI.
 - III. Repetitiones dogmaticas instituet die Saturni hora X—XI.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam inde a tempore Bonifacii VIII. enarrabit excepto die Mercurii quotidie hora IX—X.
 - II. De Synodis dioecesanis Warmiensibus et praecipuis juris dioecesani Warmiensis fontibus disseret diebus Martis et Veneris h. VI—VII.
 - III. Repetitiones et disputationes de historia ecclesiastica instituet d. Mercurii h. IX—X.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. E.

- I. Antiquitates ecclesiasticas docebit diebus Martis, Mercurii et Veneris h. XI—XII.
 - II. De medii aevi arte et artificibus disseret diebus Lunae et Jovis h. XI—XII.
 - III. Concilii Tridentini historiam enarrabit et selecta capita interpretabitur, bis per hebdomadem horis definiendis.

Lic. Hugo Weiss.

- I. Psalmos interpretabitur ter p. h. hora VIII—IX.
 - II. Evangelium secundum Johannem explicabit ter p. h. hora VIII—IX.
 - III. Antiquitates sacras Hebraeorum exponet bis p. h. hora definienda.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Physicen docebit experimentisque illustrabit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Martis et Jovis hora XI—XII.
- II. Aut Astronomiam populararem cum Astrognosia conjunctam exponet, aut Geographiam physicam et Meteorologiam diebus Mercurii et Veneris hora XI—XII tradet.
- III. Calculum differentialem, integralem et variationum docebit, et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet diebus Lunae et Veneris hora II—III.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiam recentiorem usque ad aetatem Ludovici XIV. tradet ter per hebd. hora VIII—IX.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. hora VIII—IX.
- III. Praemissa universa de linguarum scientia disputatione primordia ac fata linguae Theotiscae exponet semel per hebd. hora VIII—IX.
- IV. Selecta historiae capita critice tractabit semel per hebd. hora definienda.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O. Des.


- I. Logieen docebit ter per hebd. hora X—XI.
- II. Philosophiam naturalem tradet ter per hebd. hora X—XI.
- III. Platonis Theaetetum interpretabitur bis per hebd. horis definiendis.

Prof. Litter. antiqu. lectiones suo tempore indicabit.

Publica doctrinae subsidia.

Biblioteca, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.



R. ORDINIS PHILOSOPHORUM

DE LAURET LIBRARY, E. S. O. F. & DECORATION

L'ordre des Philosophes dépend de l'ordre des Chevaliers de la Table Ronde et de l'ordre des Templiers.
Il a été fondé au XII^e siècle par le Roi Arthur et son conseiller Merlin le Magicien.
Il a pour but de promouvoir la recherche scientifique et philosophique et de défendre la vérité contre les erreurs et les superstitions.
Il a également pour objectif de favoriser la paix et la fraternité entre les hommes de bonne volonté.

DE LAURET LIBRARY, E. S. O. F. & DECORATION

XII—XIV sont les deux dernières années de l'ordre des Chevaliers de la Table Ronde.
XV—XVI sont les deux dernières années de l'ordre des Templiers.
XVII—XVIII sont les deux dernières années de l'ordre des Philosophes.
XIX—XX sont les deux dernières années de l'ordre des Chevaliers de la Table Ronde.
XXI—XXII sont les deux dernières années de l'ordre des Templiers.
XXIII—XXIV sont les deux dernières années de l'ordre des Philosophes.

DE LAURET LIBRARY, E. S. O. F. & DECORATION

XIX—XX sont les deux dernières années de l'ordre des Chevaliers de la Table Ronde.
XXI—XXII sont les deux dernières années de l'ordre des Templiers.
XXIII—XXIV sont les deux dernières années de l'ordre des Philosophes.

PAPILLON DOCTRINE SUSPENDED

Stadtbibliothek Bonn

Hier befindet sich die Sammlung der Papillon-Doctrine-Suspensionen aus dem Jahr 1850.
Die Sammlung besteht aus über 1000 verschiedenen Exemplaren und ist in einem besonderen Raum untergebracht.
Die Sammlung ist für die Öffentlichkeit zugänglich und kann gegen eine geringe Gebühr besichtigt werden.